FLORA.

№. 32.

Regensburg. 28. August. **1858.**

Inhalt: ORIGINAL-ABHANDLUNG. Fries, de Stereocaulis adversaria quaedam. Landerer, der königliche Hofgarten in Athen. — LITERATUR. Borg und Schmid, Darstellung und Beschreibung der in der Pharmokopoea aufgeführten officinellen Gewächse. — PERSONAL-NOTIZEN. Todesfälle. — BERICHTIGUNGEN. — BEILAGE: Fischer v. Röslerstam, Verzeichniss botanischer Werke.

De Stereocaulis adversaria quaedam, auctore Th. M. Fries, Ph. Doct.

In angulo Europae mihi habitanti, ubi longa hiems et tardum commercium communicationem cum cetera Europa impedit vel moratur, heri demum partes hujus diarii, quae initio hujus anni divulgatae sunt, contigit videre, ibique (pag. 115 et seq.) observationes inveni quasdam Cl. Nylandri de *Stereocaulis* et meis de his plantis sententiis. Laetor sane, eum commentationi meae tantam vim tribuere, ut duobus locis eandem hujus opusculi recensionem imprimere necesse duxerit et deinde, quum hanc altero loco refellere conatus essem, ille altero hoc meum responsum aggressus sit. Paucis igitur liceat, has ultimas cl. Nylandri observationes examinare, omissis modo iis, ubi controversia non re sed exprimendi modo nititur *) ubi res „obiter" (i. e. de quibus numquam mentionem feci) affert **) vel ubi in me ipsum neque in meas de *Stereocaulis* sententias impetum fecit ***).

A Cell. Hooker fil. et Taylor descriptum et delineatum est *St.* quoddam *Argus*, regiones antarcticas inhabitans et habitu *St. ramuloso* sat simile; examinanti autem mihi specimina originalia hujus plantae facillime patuit, sub hoc nomine duos diversissimos lichenes, alterum ad *Stereocaula*, alterum ad genus novum pertinentem, commixtos esse. Quod novum genus *Argopsis* Th.

*) Exemplum hujusmodi est argumentum ejus contra „apothecia intus inania" terminum botanicum non solum „in schola Friesiana," sed etiam Acharіana, Massalongiana etc. usitatum.

**) V. c. differentiam inter ascos *Stereocaulorum* et *Sphaeriarum*.

***) Hic numeranda sunt omnia, quae de „sermone superbo magistri," „nugis argumentorum scholasticorum," „iracundia auctoris" e. s. p. affert, quae quidem verba mirabilia sane sunt ex illius ore, qui tanta superbia atque insolentia loquitur de omnibus aliis expertissimis Lichenologis, Hepp, Massalongo, Montagne, Koerber, parentem meum ut taceam, praeceptorem ejus in Lichenologia primum-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05974-0531-8

Fr. ad *Usneacens* referendum duxi; Cl. Nylander autem *Stereocauleis* adscribit. Nullum tamen vidi auctorem, ne Nylandrum quidem ipsum, qui lichenem apotheciis peltatis cum his conjungat, neque video rationem, cur ab *Alectoria* s. *Usnea Taylori* aliisque habitu congruentibus tribu sejungatur. Falsa praeterea omnino contendit Cl. Nylander, quum affirmat, me *Argopsin* retulisse *Usneeis* (Nyl.); numquam de hoc tribu, sed de *Usneaceis* (Eschw., Fr., Massal.) mentionem feci.

Me theoriam jam antea propositam sequi, *Stereocaulorum* centrum vegetationis „in regionibus mere tropicis" esse quaerendum, minime illi placet, ut e contrario contendit: „abundantius et vegetius occurrunt *St.* in regionibus frigidis, rara evadunt in temperatis et evanescunt in calidis." Quamquam jam attuli argumenta, quibus mea sententia firmatur, iterum hanc suam conjecturam defendit. Numeri h. l. afferantur et litem dijudicent:

Supra circulum polar. boreal. inventae sunt . .	4	spec.
Inter circ. pol. et solstitial. boreal.	15	„
Inter tropicos	13	„
Infra tropicum merid.	6	„

Observandum praeterea est, e 15 illius speciebus, quae inter circ. pol. et solstit. boreal. inventae sunt, quatuor ad ultimas fines australes tantummodo observatas esse, ut etiam regiones tropicas adhuc parum esse perscrutatas. In Algiria unam modo speciem esse inventam neque ullam in Abyssinia, nihil impedit, nam non in omni fundo hae plantae occurrunt; copia quoque individuorum non semper centrum generis indicat. Si praeterea concedimus, centrum generis ibi esse quaerendum, ubi perfectissimae species occurrant, vix crederem posse negari, tropica *St. ramulosum*, *claviceps*, *strictum* etcet., si apothecia, phyllocladia, sporas respicimus, omnium esse optime evoluta. Quae quum ita sint, quid tum evadit theoria Dni Nylandri?

Me de „membrana interiori" ascorum mentionem facientem „endascum" (Norm.) s. „coryzinam" (Mass.) respexisse, vix ulli potest dubium esse (nomen forsan tamen minus est bonum), eandemque etiam apud *Stereocaula* adesse vix quisquam potest negare. Omnia, quae praeterea de hac re affert Cl. Nylander, verba mea sophistarum more torquens, ejusmodi sunt, ut deceat aucupem syllabarum neque virum „emolumento solo scientiae occupatum."*)

*) Tali viro haud dubie perbene cognitum est, omnium scriptorum libros non ex omni parte esse perfectos, sed gradum scientiae aut

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05974-0532-4

Quae ad observationes ejus de singulis speciebus attinet, errore haud dubie non carent. Sic *St. myriocarpum*, quod nuper ad *St. ramulosum*, ut ipse dicit, „lapsu“ (determinationis an conjecturae?) nunc autem ad *St. tomentosum* retulit, habitu, ut jam ipse indicavi, huic haud est absimile, sed crescendi modo umbilicato-affixo, phyllocladiis verrucaeformibus, tomento tenui, apotheciis terminalibus et minoribus e. s. p. abunde differt. — *St. iaponicum* autem, quod simili „lapsu“ cum *St. ramuloso* antea conjunxit, sed nunc ad *St. carolloides* rejicit, haud dubie magis affine est *St. cereolino*. Ab illo differt phyllocladiis ad basin persistentibus, podetiis tomento denso persistente vestitis, pumilis, sterilibus subulatis, sporis validioribus, ab hoc tomento, phyllocladiis magis corallinoideo-divisis etc. — *St. piluliferum* in *St. ramulosum* mutari vix crederem, sed collect. Zoll. non vidi, ubi transitum adesse affirmat Cl. Nylander, quamquam quomodo transeat non dicit. Differentia excipuli et sporarum tamen tanta est, ut non possim non dignitatem ejus specificam servare, donec ipse verum vidi transitum. — Sporas *Stereocaulorum* non differre iterum iterumque affirmat Cl. Nylander; mihi autem haud parva videtur esse discrepantia inter sporas, quarum latitudo ad longitudinem sese habet ut 1 : 3½ — 1 : 7 (*St. implexum*), et eas, quarum dimensiones sunt velut 1 : 11 — 1 : 13 (*St. ramulosum*) aut ut 1 : 24 — 1 : 30 (*St. piluliferum* et *clavicepsa*). Mirum sane esset, si talis differentia in hoc genere nullius esset momenti, quum in aliis (v. c. *Coniocybe*) etiam Cl. Nylander magnitudini sporarum maximam tribuit vim. Et quum praeter hanc aliae quoque adsint notae habitusque peculiaris, nulla sane est ratio, cur non dissimilia sejungamus.*) — Verba Cl. Nylandri „*St. Vulcani* Fr. st. *St. salazinum* Bor.“ forsan non recte interpretatus sum, quum „st.“ pro „est“ vel „sistit“ sumsi. Si ita se res habet, valde sane errat. In herb. enim paterno adsunt specimina originalia *Lichenis Vulcani* Bory, e quibus desumpta est descriptio mei *St. Vulcani* (Tab. IX. f. 3. specimen supremum in Monogr.

---

aevi exprimere, quare tumida ejus verba in Friesii Syst. Mycol., conscriptum tempore, quo hodiernae observationes de vera *Rhizomorpharum* natura nondum erant cognitae, parum sunt aequa et honesto viro digna. Num audet affirmare, se semper vera invenisse?

*) Ut omnium aliorum lichenum sporae *Stereocaulorum* magnitudine variant, at inter certos limites, quare non est mirandum, omnes *St. implexi* sporas non adeo esse robustas ac illa, quae in Bot. Notis. 1857. p. 178 est delineata. Insimulatio autem Cl. Nylandri, me talem non vidisse, sed „pro usu peculiari fecisse,“ ejusmodi est, ut silentio et contemtu modo digna sit.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05974-0533-9

Stereoc. nuper edita est specimen Boryanum delineatum), quum certo certius Boryana et mea species est eadem, quod comparatis descriptionibus Boryana et mea etiam facile patet; *Lich. salacinus* Bor. autem, cujus specimen authenticum non vidi, secundum descriptionem, figuram (obs. apothecia omnia terminalia!) omniumque fere auctorum consensu *St. ramuloso* est proximum et verosimiliter ejus varietas. Neque intelligere potui, qua ratione ductus possit affirmare, *St. vulcani* Bor. esse varietatem *St denudati*; tum sane characteribus vix ulla vis tribuenda esset. — De prioritate nominis *St. azorei* nihil prodest dimicare, quum speciminibus originalibus certior factus sim, hoc esse *St. sphaerophoroides* Tuckerm., jam 1845 descriptum. — Dimensiones sporarum *St. condensati* attuli, quales ipse plures vidi, neque crediderim me errasse, quum easdem quoque vidit acutissimus Koerber. — Multas novas easdemque insignes species neque mihi neque Nylandro esse cognitas per se facile patet, sed hoc neutri nostrum vitio est tribuendum, quum nemo possit divinare, quid in posterum detecturum sit; species a Cl. Nylandro in hoc diario descriptae praeterea opinionem meam affirmant, in terris tropicis praecipue majorem copiam specierum adhuc latere.

Plura non opus est afferre, quare addere modo mihi in animo est, eum valde errare, quum declaret, me magistri personam gerere velle, quum e contrario expressis verbis declaraverim, me esse tironem, cujus primum opusculum lichenologicum haud dubie variis vitiis laboraret. Quamquam eas res, de quarum veritate convictus sim, defendo, non tamen is sum, qui falsa quadam verecundia ductus vitia commissa agnoscere dubitem, nam „veritas numquam latebit.“ Sic v. c. ingenue fateor, Cl. Nylandrum recte denominationem „spermatophororum“ castigasse, et fateor quoque, me de distributione geographica *St. myriocarpi*, *japonici* et *piluliferi* varia ex ultimis illius observationibus didicisse, et doleo sane, me haec in completa mea Monographia nuper typis expressa non potuisse recipere. At aeque ingenue possum affirmare, primam illius recensionem minime „haud parum auctori (i. e. mihi) utilem fuisse,“ quum de nihilo me certiorem fecerit, nisi quod Cl. Nylander in me eundem scriptis atque antea aliis factis praebere in animo habere, quare nec illi nec ulli alii mirum debet videri, me nullum cum eo commercium habere velle ideoque me nunc ultima vice respondisse in „observationes“, quas in opuscula mea protulit vel prolaturus est.

Upsaliae, die 8. Junii 1858.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05974-0534-5

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1858

Band/Volume: 41

Autor(en)/Author(s): Fries Theodor [Thore] Magnus

Artikel/Article: De Stereocaulis adversaria quaedam 515-518